

Puerilis illa uni velut adhærescat & innutriatur systemati methodico, tanquam Polycleti regulæ. Crescens, uni illi adjungat alia methodica scripta. Adulta liberè se exerat, & adjungat omnes dictarum classium scriptores; sic tamen ut ne consenescamus in agro Logico excolendo.

**Triples im-  
pressio in  
studio Lo-  
gico.**

*III. Tribus impressionibus Systema Logicum ediscatur.*

Primâ impressione discatur methodus præceptorum utriusq; partis, tum generalis, tum specialis. Secundâ impressione canones adjungantur. Tertiâ commentarii percurrantur. Hoc sic velim accipias. Quodlibet caput in Logicis habet ista tria, methodum præceptorum, canones & commentarios. Itaq; vel de capite ad caput sic progredi licet, ut velin quolibet hæc tria distinctè memoriæ commendes, vel primò methodum totius systematis, dehinc canones, & ultimo loco commentaria percurras. Et verò quoniam ingenium hominis fermè est volaticum, opus erit Calendario Logico, quod nihil est aliud quàm typus studiorum, tum methodicus, tum horarius. Methodicus partitur auctorem, quem legendum suscipimus, in certa *τμήματα*: horarius ordinem temporis adjungit.

**Utilitas canonum in  
Logicis.**

*IV. Vitentur systemata illa, quæ nudas & pauculas habent definitiones & distributiones, itemq; exempla duntaxat oratoria & poëtica.*

Nam definitiones & divisiones illæ sunt arcule cassæ rerum, nî accedant Maximæ. Neq; valet suffugium, præceptoris est, regulas addere. Hîc enim quæritur, an canones æquè sint necessarii in Logicis, atq; theoremata in Metaphysicis, ut regulæ in Grammaticis. Miserrimus sanè est coquus, qui juris lætis, carniū nihil vel parum apponit. Sicut ergo in scientiis traduntur theoremata: ita in artibus & prudentiis canones sunt. Si enim sciam, quòd causa sit, cujus vi res est: quomodo exin potero demonstrare animam esse immortalē? Quid illa definitio ad Andromachen? An jam didicit Epicurus, animam esse immortalē? Exempla quod attinet, illa petenda sunt ex limpidis artiū fontibus, non è turbidis poëtarum & oratorum lacunis haurienda. *Timp. libr. 1. Logic. c. 3. quest. 12.* Cùm enim Logica instrumenta ad veri & falsi discretio-